permotus uultu placido mente
tranquilla infelicis amentie
permitia uerba cohiberet
Sed ita nequam spiritus in eo
redundabat ut ne sua quidem
illi quamuis uana admodum
mens subesset trementibus
labijs incertoque uultu de-
colore pre furore rotabat
uerba peccati se asserens sanc-
tiorem quippe qui a primis
annis in monasterio inter
sacras ecclesie disciplinas
ipso martino educante cre-
uisset Martinum uero a prin-
cipio quod ipse diffiteri non
posset militie actibus sor-
duisse et nunc per inanes
superstitiones et fantasma-
ta uisionum ridicula prorsus
inter deliramenta senuisse
Hec cum multa atque alia etiam
que reticere melius est
acerbiora uomuisset egressus
tandem furore satiato quasi
qui se penitus uindicasset
rapidus ea parte qua ue-
nerat recurrebat Cum in-
terea credo per martini
orationes fugatis ab illius corde
demonibus reductus in peni-
tentiam mox reuertitur atque
ad martini se genua pro-
sternit ueniam poscens fatetur
errorem nec sine demone
se fuisse tandem sanior con-
fitetur Non erat apud mar-
tinum labor iste difficilis
ut ignosceret supplicanti Tunc
et ipsi et nobis omnibus sanctus
exposuit qualiter illum a de-
monibus uidisset agitari se
conuitiis non moueri que
magis illi a quo essent
effusa nocuissent Exinde
cum idem brictio multis apud
eum magnisque criminibus per-
sepe premeretur cogi non
potuit ut eum a presbiterio
submoueret ne suam persequi
uideretur iniuriam Illud sepe
commemorans si christus iudam
passus est cur ego non patior
brictionem Hic postumianus
Audiat inquit istud exem-
plum · uir iste de gregorio · qui
cum sit sapiens · immemor
presentium immemor futu-
rorum si fuerit offensus in-
sanit in sua se non habens
potestate Seuit in clericos
grassatur in laicos totumque
terrarum orbem in sua com-
mouet ultione in qua per
triennium iugiter dimicatione
consistens · nec tempore nec